



Syntagmata Theologica Sive Principalis Theologiæ Tractatus

Continet triplicem Tractatum: Primus est de Conscientia. Secundus agit de Merito. Tertius de Reviviscentia meritorum.

Lourenço, Agostinho

Leodici Eburonum, 1692

Sectio XIV. Explicatur quarta conditio ex parte actûs.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-80151](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-80151)

intrinsicè bonum, in quo prout sic sibi complacet, licet sibi in eo displiceat ut imperato.

302. Argues 5. Si actus intensus ut octo esset nocivus saluti: aut à Deo prohibitus in tali intensione, talis actus, si fieret, esset malus non solum ut octo intensus, sed etiam in gradibus remissis infra octavum; ergo etiam ille actus erit demeritorius, & malus, quia & intrinsicè & extrinsicè non est bonus. Respondeo negando consequentiam; diversa ratio est, quia actus ille totus, & secundum omnes gradus esset nocivus, aut prohibitus, cum enim illa intensio coalescat ex omnibus illis gradibus, in illa sunt nocivi, & prohibiti omnes ipsi gradus, siquæ malus, & demeritorius est totus actus: at verò actus iste imperatus, ut supponimus, esset totus intrinsicè bonus, & solum extrinsicè imperaretur ab actu malo; hæc autem malitia derivata ab imperio malo non vitaret intrinsicè bonitatem.

303. Argues 6. Si huiusmodi actus prout sic imperatus posset esse meritorius, sequeretur, si actus mortaliter peccaminosus imperaret actum supernaturalem (quod fieri non repugnat, ut dicit P. Arriaga cit. num. 12.) talem actum prout sic imperatum, cum sit ab intrinsicè bonus, & immediatè liber, esse meritorium de congruo; sed hoc non est admittendum; ergo neque illud, ex quo sequitur. Respondeo negando minorem; si enim status peccati mortalis non impedit meritum de congruo, cur illud impediet actus imperans in casu proposito?

304. Argues 7. Imperium pravum efficax tollit libertatem ipsius actus imperati; sed actus, ut sit meritorius, debet esse formaliter, & immediatè liber, ut supra diximus; ergo talis actus sic imperatus non esset meritorius. Respondeo resolutionem hanc non procedere de actu efficaciter, sed ineffaciter imperato ab actu malo. Addo, quod non semper actus efficax imperans tollit libertatem, ut supra diximus num. 168.

305. Argues 8. Idem actus intrinsicè bonus, & malus, non potest esse meritorius, sed solum demeritorius: tum quia ad demerendum sufficit, quod sit aliquo modo malus, cum malum sit ex quocumque defectu: tum etiam, quia si idem actus esset simul meritorius, & demeritorius, obligaret, & deobligaret simul ad præmium; sed hoc ipsum esset in illo actu intrinsicè bono, & extrinsicè malo, ut consideranti patebit; ergo sicut ille, ita & iste est absolutè demeritorius.

306. Respondeo cum P. Ripal. cit. n. 46. negando minorem; falsò enim supponitur in nostro casu esse unum, & idem opus meritorium, & demeritorium, sicut dicitur fore unum, & eundem actum intrinsicè bonum, & malum: siquidem in nostro casu esset duplex opus, aliud demeritorium in actu imperante, & aliud meritorium in actu imperato ab imperante distincto; neque enim implicat quod homo in eodem instanti mereatur per unum opus, & demereatur per aliud; quid enim implicat, quod simul otiosè loquatur, & per actum misericordiæ elemosynam largiatur, siquæ per unum opus contrahat debitum pœnæ temporalis, & per aliud eidem pœnæ satisfaciatur.

307. Conclusio 5. Si actus simpliciter bono conjungatur alius actus leviter malus, qui solum concomitanter ad illum se habeat, non ideo ille primus desinet esse meritorius. Est communis Doctorum sententia. Probat, quia in eo casu actus leviter malus nõ reddit alium simpliciter malum; siquidem neque est illius circumstantia, neque tollit ejus libertatem, sed solum concomitanter ad illum se ha-

Tom. 2.

bet, & per accidens; ergo non destruit ejus meritum.

308. Confirmatur primò, quia actus intrinsicè bonus non vitatur ab actu malo extrinsicè illum imperante, ita ut non sit meritorius, prout hæcenus diximus; ergo à fortiori non ita vitabitur ab actu concomitanter, & per accidens ad illum se habente. Secundò, quia non repugnat, quod quis bonum aliquod opus faciat coram aliis optima intentione, & debito modo, & eodem tempore insurgat cogitatio aliqua vanæ gloriæ, nempe quod propter tale opus reputabitur ab aliis Sanctus, siquæ de hoc venialiter delectari, sunt enim huiusmodi actus disparati, & in illis nulla apparet repugnantia; sed in eo eventu actus malus non erit circumstantia actus boni, cum non sit illius finis, ut supponitur, neque alia circumstantia ibi locum habeat; siquidem actus malus supponit bonum cum omnibus suis circumstantiis, & bonus solum se habet quasi illius objectum materiale; ergo non est ex quo actus bonus vitetur, & meritum amittat.

SECTIO XIV.

Explicatur quarta conditio ex parte actus.



309. QUARTA conditio, quæ requiritur ex parte actus ad meritum de condigno, prout supra diximus, est, quod ipse actus procedat ex auxilio gratiæ, & sit aliquo modo supernaturalis, siquæ huiusmodi conditio duas partes videtur continere, nempe & quod ex auxilio gratiæ actualis procedat; & quod sit aliquo modo supernaturalis: pro quibus sit:

310. Conclusio 1. Ut actus sit meritorius de condigno apud Deum, debet procedere ex auxilio gratiæ actualis ipsius Dei. Ita P. Bellarm. lib. 5. Justificat. cap. 15. P. Soar. tomo 3. de Grat. lib. 12. cap. 7. num. 2. ubi hanc sententiam dicit omninò veram. P. Vasq. 1. d. 217. cap. 5. num. 41. ubi id dicit ad fidem Catholicam pertinere. D. Thom. 1. 2. quest. 109. art. 5. & q. 114. art. 2. Caiet. 1. part. quest. 63. art. 6. ad 3. dub. 1. Waldens. tomo 3. de Sacramentalib. cap. 9. Osius in Confess. cap. 66. Lindan. lib. 3. Panoplia cap. 20. P. Tanner. d. 6. quest. 6. dub. 4. n. 72. P. Arriaga tomo 4. d. 53. sect. 1. num. 8. ad finem. P. Compton. tomo 1. d. 126. sect. 8. num. 1. & alii.

311. Probat, primò autoritate Scripturæ Joan. 15. Ego sum vitis, vos palmites, qui manet in me, & ego in eo, hic fert fructum multum, quia sine me nihil potestis facere: sed huiusmodi fructus in meritis maximè consistit, quem tamen sine Christo, id est, sine ejus auxilio facere non possumus; ergo ad quodlibet opus meritorium de condigno requiritur auxilium gratiæ. Item ad Philip. 2. ibi: Cum metu, & tremore vestram salutem operamini; Deus est enim, qui in vobis operatur, & velle, & perficere pro bona voluntate; sed per quodlibet opus meritorium operamur salutem; ergo in omni opere meritorio Deus incipit, & perficit per auxilium actuale. Item 1. Cor. 3. Ego plantavi, Apollo rigavit, Deus autem incrementum dedit; sed quodlibet opus meritorium de condigno est aliquod gratiæ, & sanctitatis incrementum; ergo Deus est, qui omne huiusmodi incrementum dat per suum auxilium. Item 2. Cor. 3. Non sumus sufficientes cogitare aliquid ex nobis, quasi ex nobis; sed opus meritorium non fit sine pia cogitatione; ergo sicut hæc, ita & illud non poterit fieri

00

fieri sine auxilio gratiæ.

312. Probatur secundò authoritate Concilior. Trid. sess. 6. cap. 16. ubi docens, justos suis bonis operibus mereri vitam æternam, rationem reddit: *Cum enim, inquit, ille ipse Christus-7 ESUS, tanquam caput in membra, & tanquam vitis in palmites in ipsos iustificatos jugiter virtutem influat, quæ virtus bona eorum opera semper antecedit, & comitatur, & subsequitur, & sine qua nullo pacto Deo grata, & meritoria esse possent.* Et ibid. Absit tamen, inquit, ut Christianus homo in se ipso, vel confidat, vel gloriatur, & non in Domino, cuius tanta est erga omnes homines bonitas, ut eorum velit esse merita, quæ sunt ipsius dona. Idem habetur sess. 14. cap. 8. Et Concil. Arau. can. 8. Debetur, ait, merces bonis operibus, si fiant, sed gratia, quæ non debetur, præcedit, ut fiant. Et can. 20. Multa, ait, in homine bona fiant, quæ non facit homo, nulla verò facit homo bona, quæ non præstet Deus, ut faciat homo; sed hoc præstat Deus per auxilia specialia; ergo hæc requiruntur ad omnia opera pietatis, & meritoria.

313. Probatur tertio authoritate Sanctorum Patrum, Celestin. Pap. epist. 1. ad Episcopos Galliæ cap. 8. ubi dicens, omnia opera, & merita Sanctorum in Deum esse referenda, rationem subiungit: *Quia, inquit, nemo aliunde ei placet, nisi ex eo, quod ipse donavit. Quomodo autem donet, declarat: quia, inquit, præparatur voluntas à Domino, & ut boni aliquid agant, paternis inspirationibus suorum tangat ipse corda fidelium; ergo si omnia merita sunt dona Dei, omnia sunt ex illius auxilio.* Et D. Aug. serm. 16. de Verb. Apostol. *Illo modo, inquit, possumus exigere Dominum nostrum, ut dicamus, reddet, quod promissisti, quia facimus, quod iussisti, & hoc tu fecisti, quia laborantes iussisti:* ex quibus verbis patet in omni opere bono, & meritorio non esse hominem principalem operatorem, sed cooperatorem Dei principaliter operantis. Quod etiam confirmat D. Leo serm. 7. *Quadrage.*

314. Probatur quarto ratione, quia per omne opus meritorium servit homo divinæ voluntati; sed quoties sic servit, voluntas ejus à Domino præparatur; præparatur autem per speciale aliquod auxilium; ergo nunquam homo meretur apud Deum sine tali auxilio. Confirmatur, quia ad faciendum opera satisfactoria pro pœnâ temporali, quæ manet, remissâ culpâ, requiritur, non solum gratia habitualis, sed actuale auxilium, ut definit Trid. sess. 14. cap. 8. ergo à fortiori requiretur ad faciendum opera meritoria vitæ æternæ; siquidem magis est mereri vitam æternam, quàm satisfacere pro pœnâ temporali.

315. Conclusio 2. Omnis actus meritorius apud Deum, debet esse aliquo modo supernaturalis. Ita P. Soar. cit. num. 7. & alii supra cit. Probatur primò, quia quando opus semper, & per se postulat auxilium gratiæ supernaturalis, ut fiat, & perficiatur, tale opus est aliquo modo supernaturale; sed ad omne opus meritorium apud Deum semper, & per se requiritur auxilium gratiæ actualis supernaturalis, ut ostensum est; ergo tale opus semper debet esse supernaturale. Secundò, quia media debent esse proportionata fini; sed meritum est unum ex potissimis mediis ad consequendam beatitudinem supernaturalem; ergo meritum semper debet esse aliquod opus ejusdem ordinis cum illo fine; ac proinde supernaturale. Dixi aliquo modo supernaturalis, quia non contendo, debere esse substantialem quoad substantiam, sed aut isto modo, aut alio modo, sive absoluto, sive respectivo, sive physico, sive morali.

316. Dices 1. cum Victor. Sor. *Medin.* apud P. Soar. cit. & alii Thomistis, & cum P. Marat. d. 14.

sect. 4. Omne opus moraliter bonum hominis iusti, etiam solis viribus naturæ factum, est condigne meritorium vitæ æternæ; tum quia hæc promittitur in Scriptura, *Matt. 10. 42. & cap. 23. & 35.* talibus operibus, nempe calici aquæ frigidæ, elemosinæ, aliisque operibus misericordiæ: tum etiam, quia aliter daretur in homine iusto opus aliquod indifferens, per quod neque mereretur, ut supponitur, neque demereretur, cum tale opus esset moraliter bonum, sicque non posset esse demeritorium; ergo &c.

Respon. egando antecedens, ad cuius primam probationem dicimus; justos per talia opera moraliter bona mereri de condigno prout in Scriptura significatur, dicimus tamen oportere, ut fiant modo aliquo supernaturali, quod in illis locis non negatur, & in aliis declaratur, ut vidimus. Ad secundam probationem dicimus, nullum esse inconveniens admittere in homine iusto opus bonum, quod non sit meritorium, neque demeritorium; siquidem meritum, & demeritum, neque de se sunt immediate opposita, quia non includunt immediatam contradictionem, sed quasi moralem oppositionem contrariam, in qua potest dari medium per carentiam utriusque contrarii, & talis est huiusmodi actus: neque potest assignari præceptum aliquod divinum, aut ordinatio, aut aliud principium extrinsecum, ex quo talis necessitas, aut immediata oppositio oriatur.

Dices 2. Mala opera moralia ex se merentur pœnam æternam, etiam damni, & carentiæ Visionis Beatæ; ergo etiam bona opera moralia, si aliqui persona sit digna, & iusta, merentur vitam æternam, ipsamque Visionem Beatam. Respondeo negando consequentiam; diversa ratio est, quia plus requiritur ad merendum, quàm ad demerendum; sic enim homo suis viribus potest gratiam, & gloriam perdere, non tamen acquirere, quia longè facilius est deficere à bono, quàm illud perficere; & sic etiam supra diximus, posse hominem per parvam omissionem demereri, non tamen mereri. Adhuc tamen:

Difficultas est: Utrum solus actus elicitus à charitate sit meritorius de condigno apud Deum? Cum actus condigne meritorius, non solum debeat esse moraliter bonus, sed etiam aliquo modo supernaturalis, sequitur explicandum, qualis, & quanta debeat esse hæc bonitas, & supernaturalitas, quæ in triplici virtutum ordine locum habere potest: Primò in ipsa sola charitate, tanquam summè perfectâ, & quæ aliquo modo est principium, & radix totius meriti. Secundò in virtutibus, & donis per se infusis. Tertio in reliquis virtutibus moralibus acquisitis. His positis.

Dico 1. Omnes actus supernaturales elicitus à charitate sunt per se, & intrinsecè meritorii de condigno apud Deum gratiæ, & gloriæ essentialis. Est certa, & tanquam per se nota conclusio. Probatur primò Joan. 14. *Si quis diligit me, diligitur à Patre meo, & ego diligam eum. & manifestabo ei me ipsum: utique per Visionem Beatam.* Et 1. Cor. 2. *Non oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparavit Deus diligentibus se.* Et 1. Cor. 13. *Reposita est mihi corona iustitiæ, quam reddet mihi in illa die iustus iudex, non solum autem mihi, sed & illis, qui diligunt adventum ejus.* Et Jacob. 1. *Beatus vir, qui suffert tentationem, quoniam cum probatus fuerit, accipiet coronam vitæ, quam reponset Deus diligentibus se.* In quibus, & multis aliis locis sermo est de præmio propter charitatem, sive actibus charitatis, & dilectionis Dei conferendo; ergo &c.

Probatur

321. Probatur secundò ratione, quia meritum vitæ æternæ ita pendet ex ordinatione Divinâ, ut sola illa opera possint esse meritoria propriè vitæ æternæ; quæ Deus propriè & principaliter acceptare dignatus est ad vitam æternam conferendâ; sed ita dignatus est acceptare opera, sive actus charitatis, ut patet ex locis proximè citatis; & nulli sunt actus excellentiores, & Deo gratiores; ergo &c. Confirmatur, quia actus aliarum virtutum supernaturales non elicit à charitate, elicit tamen ab homine iusto, sunt meritorii de condigno gratiæ, & gloriæ essentialis, ut infra dicemus; ergo à fortiori sic erunt meritorii actus elicit à charitate, utpotè excellentiores, & Deo gratiores.

322. Dubium hæc est: Utrum actus à charitate elicitus ut sit de condigno meritorius apud Deum vitæ æternæ, requirat certam aliquam durationem, aut intensiorem? Negativè. Ita P. Soar. *tomo 3. de Grat. lib. 12. cap. 8. à num. 2.* ubi oppositum dicit improbabile, & contra indefinitum modum loquendi Scripturæ, in qua omni actui charitatis indifferenter, & indefinitè vita æterna promittitur. Probatur quoad durationem, quia actus charitatis in uno instanti habet totam suam perfectionem substantialem, & intrinsicam cum sufficiente usu libertatis; ergo in ipso instanti est meritorius; consequenterq; ut talis sit non requirit tempus aliquod determinatum, etiam minimum, in quo dureret. Confirmatur, quia Angelus malus in primo instanti suæ creationis verè meruit, licet in solo illo in gratiâ perseveraverit, ut tenet communior opinio apud Soar. Et Christus Dominus in primo instanti suæ creationis perfectissimè meruit, & non minus, quàm in aliquo vitæ tempore, quia infinitè; ergo &c.

323. Probatur quoad intensiorem, quia sine ullo fundamento probabili, aut rationis, aut autoritatis asseritur, actum charitatis, ut sit de condigno meritorius, requirere certam quantitatem absolutam intensiorem, etiam minimam, in qua sit, & infra quam non sit meritorius; ergo omnis actus elicitus à charitate, quantum est ex parte actûs, in quacunque intensiõe est meritorius de condigno. Confirmatur, quia omnis actus amoris, aut contritionis in quacunque intensiõe sufficit ad obtinendam justitiam & remissionem peccati, ut cum aliis docet P. Soar *tomo 4. in 3. part. d. 4. sect. 4. num. 9.* ergo idem dicendum de actu charitatis in ordine ad meritum. Dixi quantum est ex parte actûs, quia ex parte personæ necessarius est status gratiæ, & alia de quibus supra, & infra dicemus.

SECTIO XV.

Quid dicendum de actibus aliarum virtutum?

324. **I**CO 2. Non solum actus elicit à charitate, sed etiam ab aliis virtutibus, possunt esse condignè meritorii gratiæ, & gloriæ essentialis, si dentur alia conditiones requisitæ ad meritum de condigno. Ita communis sententia, quam videntur tenere D. Thom. 1. 2. *quæst. 21. art. 4. ad ult. & quæst. 2. de Malo, art. 5. ad 7.* & D. Bonav. in 2. *dist. 41. art. 1. quæst. 3. ad ult.* & tenet expressè Capreol. in 2. *dist. 40. quæst. 1. art. 1. conclus. 2.* Sor. *lib. 3. de Natur. & grat. cap. 4. Caiet. 1. 2. quæst. 21. art. 3.* & recentiores Thomistæ, P. Vasq. 1. 2. *d. 217. cap. 2. num. 9.* P. Soar. *tomo 3. de grat. cap. 8. n. 9.* dicens contrariam sententiam nullo *Tom. 2.*

modo probandam, aut tolerandam esse. P. Tanner. *tomo 2. d. 6. quæst. 6. dub. 4. num. 72.* P. Agid. *d. 8. de Merit. dub. 4. num. 64.* P. Arriaga de *Charit. d. 34. sect. 2.* P. Amicus *d. 35. de Merit. sect. 4. n. 95.* P. Compton. *tomo 1. d. 126. sect. 7. n. 5.* & alii.

325. Probatur primò autoritate Scripturæ, *Matt. 25. Venite benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum à constitutione mundi, esurivi enim, & dedistis mihi manducare, &c.* ubi dicit Christus, se daturum regnum Cælorum propter opera misericordiæ. Ita hanc veritatem probant omnia loca, in quibus Deus dicitur iudicaturus homines secundum opera sua, ut *Matt. 16. & cap. 19. Rom. 2. 1. Cor. 3. & 2. Cor. 9. Psal. 61. Ecclesiast. 16.* Et *Joan. 5.* de resurgentibus generaliter dicitur: *Procedent, qui bona fecerunt in resurrectionem vitæ:* ubi non de sola charitate, sed de bonis operibus fit mentio. Item el. E. mosyna est opus virtutis moralis, & tamen de illa dicit D. Paul. 1. *Tim. 6. Divitiis hujus sæculi præcipe bene agere, divites fieri in bonis operibus, facile tribuere, thesaurizate sibi fundamentum bonum in futurum. ut apprehendant vitam æternam.* Idem habetur *Rom. 13.* ergo hujusmodi opera sunt condignè meritoria gratiæ, & gloriæ essentialis.

326. Probatur secundò autoritate Concil. Trident. *sess. 6. cap. 4. Bene operantibus, ait, usque in finem, & in Deo sperantibus proponendam esse vitam æternam, & tanquam gratiam filii Dei, per Christum Jesum misericorditer promissam, & tanquam mercedem expressius Dei promissione bonis ipsorum operibus, & meritis fideliter reddendam.* Ubi nomine vitæ æternæ significatur præmium essentialiale, & hoc esse mercedem, non solius charitatis, sed bonorum operum, quæ ad alias virtutes pertinent, quod confirmat ibidem *ex illo 1. Cor. 15. Abundate in omni opere bono, scientes, quod labor vester non est inanis in Domino.* Idem habet *can. 32. & sess. 6. cap. 7.* ubi docet, justitiam unicuique dari juxta mensuram propriæ cujusque dispositionis; hæc autem dispositio ad gratiam sæpe est iolum opus attritionis, quod est actus supernaturalis spei, ut contingit in justificatione, quæ fit virtute Sacramenti ex quo fit, ut actus spei sit meritorius æternæ gloriæ, absque ullo charitatis imperio. Idem docet *cap. 10.* quatenus dicit, justos quotidie crescere, & magis justificari per observantiam mandatorum Dei, & Ecclesiæ; quæ justos observare potest per actus aliarum virtutum à charitate; ergo per illos poterit gratiam, & gloriam promereri.

327. Probatur tertio autoritate Sanctorum Patrum. D. Bernard. *lib. de Grat. & liber. arbit. ad finem.* D. Aug. *tract. 51. in Joan. & lib. de Sancti. Virginit. per multa cap. D. Hieron. lib. 2. contra Jovinian. D. Greg. lib. 4. Moral. cap. ult. ubi explicat quid, & quanti sit ministrare Christo in obsequiis proximorum, & docent contra Jovinianum pro meritorum multitudine majus præmium essentialiale retribui: quibus addi potest D. Prosper. *lib. 2. de Vocat. Gent. ubi: Implende voluntatis Dei ita est præordinatus effectus, ut per laborem operum, per instantiam supplicationum, per exercitia virtutum fiant incrementa meritorum, & qui bona gesserunt, non solum secundum præpositum Dei, sed etiam secundum sua merita coronentur.* Et *lib. de Ecclesiast. dogmat. Abstinentibus, ait, à vino, vel carnibus pro amore castigandi corporis nihil credere meriti accrescere, non hoc Christiani, sed Joviniani est;* ergo &c.*

328. Probatur quarto rationibus: Prima, quia si ut actus esset meritorius de condigno gratiæ, & gloriæ essentialis, deberet necessarò elici à charitate, deberet id ostendi aut ex aliqua lege Dei, aut ex natura